

meminit. Hec ipsa tamen, que scribit, nec vera nec falsa esse asserit, sed tantummodo sive vera sive falsa sint, ea salva fide^{q)} ac sine periculo anime et credi et legi posse ab his, qui credunt Deum^{r)} hec omnia^{r)} facere potuisse.

Sic et ego pauca illa de apocriphis huic operi inserui, non vera vel falsa esse asserendo, sed tamen ea, que^{s)} legi, simpliciter recitando, que salva fide possunt et credi et legi; neque enim aliter a quoquam christiano libri apocriphi sive etiam philosophici vel poetici legendi sunt, nisi in mente iugiter servando, quod dicit Apostolus: *Omnia*⁵³⁾ *probate, quod bonum est, tenete!* undet^{t)} Ieronimus contra Vigilantium ita loquitur: *Operis*⁵⁴⁾, inquit, *ac studii mei est multos legere, ut ex plurimis*^{u)} *diversos carpam flores. Non tam omnia probaturus, quam que bona sunt, electurus.*

c. 10. Apologia^{v)} de modo excerptendi in quibusdam libris Aristotilis

Id^{w)} autem in hoc opere vereor quorundam legentium animos refragari, quod nonnullos Aristotilis flosculos precipueque ex libris eiusdem^{x)} physicis et metaphysicis⁵⁵⁾, quos nequaquam ego ipse excerpteram, sed a quibusdam fratribus excerpta susceperam, non eodem penitus verborum schemate^{y)}, quo in originalibus suis iacent, sed ordine plerumque transposito, nonnumquam etiam^{z)} mutata paululum ipsorum verborum forma, manente tamen actoris sententia, prout ipsa vel prolixitatis abbreviande vel multitudinis in unum colligende vel etiam obscuritatis explanande necessitas^{aa)}, per diversa capitula inserui. Quidam^{bb)} etenim — ut cum stomacho loquar — tam fideles et^{cc)} cauti^{cc)} verborum observatores existunt, adeoque fideliter ac sincere de quibuslibet libris sententias notabiles excerpti volunt, ut nec minimum iota de verbis ipsius actoris sive etiam de verborum ordine patiantur immutari; huiuscemodi^{dd)} tamen cautele distractionem patres nostros doctores catholicos nec in antiquorum flosculis excerptendis, nec in libris quorumlibet^{ee)} transferendis omnino tenuisse cognovi. Verum ut

q) lege $D_2 D_3$ r-r) hec omnia Deum D s) fehlt D_1 t) folgt etiam D u) pluribus $D_2 D_3$ v) Kapitel 10 fehlt R w) Ed N_3
x) fehlt $D_2 D_3$ y) folgt sed N z) et H_2 ; fehlt D_3 aa) folgt ex-
gebat D bb) quidem H_2 cc-cc) italici D_3 dd) cuiusmodi D
ee) aliorum N

⁵³⁾ 1. Thess. 5, 21.

⁵⁴⁾ Ep. 61, ed. Is. Hilberg, CSEL 54 (1910) c. I, 2 S. 576.

⁵⁵⁾ Die Kürzung ist nur so und nicht *mathematicis* aufzulösen.